



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. V, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33vb-34ra
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 5 quaeritur utrum primum peccatum angeli fuerit peccatum superbiae. Quod non, quia sicut dicitur Timoth. 6 Radix omnium malorum est cupiditas. Sed peccatum angeli fuit radix omnium peccatorum. Ergo primum peccatum angeli non fuit superbia, sed cupiditas.

Contra. Initium omnis peccati superbia est. Sed a peccato dyaboli omne peccatum originem et initium traxit; ergo fuit superbia.

Responsio. Ista quaestio supponit angelos peccasse, ideo sunt tria videnda. Primo ostenditur quod in angelis potuit esse peccatum. Secundo ostenditur quid peccando appetierat. Tertio ostenditur propositum.

Quantum ad primum sciendum quod cum peccare non sit aliud quam declinare a rectitudine quam actus debet habere et hoc sive peccatum attendatur in moralibus sive in naturalibus, solum illum a rectitudine declinare non contingit cuius regula est virtus agentis. Si enim manus artificis esset ipsa regula incisionis numquam posset artifex, nisi recte lignum incidere, sed si /34ra/ rectitudo incisionis sit altera a regula, contingit incisionem rectam et non recta esse. Inter omnes autem voluntates sola voluntas divina est regula sui actus, cum ipsa ab alio fine non reguletur qua a se ipsa. Omnis autem voluntas cuiuscumque creaturae rectitudinem in suo actu non habet, nisi ut reguletur a voluntate divina, ad quam pertinet ultimus finis, sicut voluntas inferiorum debet regulari a superiori et voluntas militis secundum voluntatem ducis. Sic ergo in sola voluntate divina non potest esse peccatum. In voluntate autem cuiuscumque creaturae peccatum esse potest, cum nulla voluntas sit sua regula. Et sic in voluntate angelorum peccatum esse potuit; sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod de appetitu daemonis inveniuntur tria opiniones, quia aliqui dicunt quod angelus simpliciter voluit et appetiit aequaliter esse Deo, quamvis hoc sit impossibile, quia caeca ambitio plus praesumit quam possit secundum Augustinum. Sed istud non est possibile nec imaginabile, quia numquam res aliqua potest appetere aliquid, quo posito eius natura non maneret, quia unicuique inest naturale desiderium conservandi suum esse, quod non conservaretur, si in altiore naturam transferretur. Unde nulla res inferioris naturae potest appetere gradum superioris naturae, sicut homo non appetit quod sit angelus, quia si transferretur in gradum altioris naturae iam ipsum quod est non esset. In hoc tamen deceptur imaginatio quia enim hoc appetit esse in gradu altiori quam ad aliqua accidentalibus quae possunt accrescere absque corruptione subiecti aestimatur quod possit appetere gradum altiore in quem non posset pervenire nisi desineret esse. Ergo nihil potest appetere, quo habito natura eius non maneret. Si autem angelus esset Deo aequalis, certum esset quod non esset eiusdem naturae, sicut prius, et ita suum non esse appeteret. Et ideo alii dicunt quod aequalitatem Dei non directe appetiit, sed indirecte, quia aliquid appetiit quo habito esset Deo aequalis scilicet nulli subesse. Sed nec istud potest esse conveniens, quia tota bonitas angeli in hoc est quod Deo subest, sicut tota claritas aeris in hoc est quod subiicitur radiis solis et ideo hoc ab angelo non potest appeti. Ideo dicendum est aliter scilicet quod non appetiit simpliciter aequalitatem Dei quantum ad substantiam desiderati, ut scilicet vellet habere tantam bonitatem quantam Deus, sed tamen appetiit aequalitatem secundum quid, quantum ad modum habendi. Cum enim bonitas et beatitudo sint in Deo secundum suam naturam, ab ipso etiam derivaretur omnis bonitas et beatitudo. Videns angelus dignitatem suae naturae, qua aliis creaturis praeeminebat, voluit quod in alios derivaretur bonitas et



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. V, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 33vb-34ra
transcribed by Andrea Colli

beatitudo ab ipso; voluit etiam quod per sua naturalia imperfectionem beatitudinis perveniret. Et ideo dicitur, quod sine merito voluit, quod suis meritis habiturus esset, si perstitisset; sic patet secundum.

Quantum ad tertium, sciendum quod superbia tripliciter sumitur. Uno modo habitualiter, ut est inclinabilitas quaedam ad peccandum et superbiendum, vel ex fomitis corruptione vel ex naturae flexibilitate tantum, et hoc modo superbia est initium omnis peccati.

Secundo dicitur superbia secundum quod aliquis differt se extra limites praecepti, ut praeipienti non subiciatur; et sic adhuc non est peccatum speciale, sed generalis condicio, omne peccatum consequens ex parte adversionis.

Tertio modo dicitur appetitus inordinatus superbia propriae excellentiae, et praecipue in dignitate et honore; et sic est speciale peccatum, unum scilicet de septem vitiis capitalibus; et isto peccato peccavit angelus: quod patet ex desiderio quod desiderabat, scilicet eminentiam dignitatis, et etiam ex motu, quia ex consideratione propriae excellentiae et pulchritudinis in peccatum ruit.

Ad argumentum dicendum quod ibi accipitur cupiditas, ut est quaedam inclinabilitas et desiderium inordinatum cuiuslibet desiderabilis perveniens vel ex corruptione fomitis, vel flexibilitate naturae et ex hoc patet quod ex nihilo est. Et ita bene stat in angelo cum peccato superbiae.

TEACH